

THOMAS CAMPION

UMBRA (404 vers)

v.1 Femineos dea quae nigro sub limine manes
 2 occludis, caelo ostentans, iterumque reducens
 3 umbriferum per iter, quanquam crudelis amanti,
 4 sis mihi tu facilis ; quanquam non aequa resumis
 5 formosarum animas, festina morte peremptas.
 6 Abreptas solus resonante reducere plectro
 7 Threicius potuit, lucique ostendere amores ;
 8 non potuit tamen ; ad tristes devolvitur umbras
 9 quicquid formosum est, et non inamabile natum.
 10 O sacra Persephone, liceat tua regna canenti,
 11 lucifugasque umbras, aperire abscondita terris
 12 jura, tenebrarumque arcana adoperta silentium.
 13 Respice qui viridi radantia tempora lauro
 14 comprimis ; insidias, et furtivos hymenaeos,
 15 et nympham canimus, sed quae tibi prodita somno
 16 nupsit, facta parens, etiam sibi credita virgo
 17 est in visceribus terrae nulli obvia vallis
 18 concava, picta rosis, variaque ab imagine florum,
 19 fontibus irrorata, et fluminibus lapidosis :
 20 mille specus subter latitant, totidemque virenti
 21 stant textae myrto casulae, quibus anxia turba
 22 Nympharum flores pingunt, mireque colorant.
 23 Nec minus intenta est operi Berecynthia mater,
 24 instituens natos frutices quo sideris ortu
 25 aerio credant capita inconstantia caelo.
 26 Admonet immaturae hiemis, gelidaeque pruinae,
 27 imbriferumque Austrorum, horrendisonumque Aquilonum ;
 28 grandine concussam Rhodopen, Taurumque nivalem,
 29 concretosque gelu prohibet transcendere montes ;
 30 tantum qui placido suspiras ore, Favoni,
 31 arboreos tibi commendat dea sedula fetus.
 32 Fraga, rosas, violasque jubet latitare sub umbris ;
 33 forma rosis animos majores indidit, ausis
 34 tollere purpureos vultus, et despiciere infra.
 35 Pallentes odio violas, tectasque pudore.
 36 Diva rosas leviter castigat, et admonet aevi
 37 labilis ; aspiceres foliis prodire ruborem,
 38 et suspendentes ora annutantia flores.
 39 Accedant nymphae properata ex ordine matri
 40 pensa ostentantes, quarum pulcherrima Iole
 41 asportat gremio texturas millecolores.
 42 Hanc olim ambierat furtim speciosus Apollo,
 43 muneribus tentans, et qua suasisse loquela
 44 posset ; saepe adhibet placidam vim, saepe et amantum
 45 blanditias cupidus, sed non cupiente puella.
 46 Brachia circumdat collo, simul illa repellit ;
 47 instat hic, illa fugit ; duplicant fastidia flammis ;

48 ardet non minus ac rutilo Semeleia proles
 49 cum curru exciderat, totumque incenderat orbem
 50 spes sed ut illusas vidit deus, et nihil horum
 51 virginis aversam potuisse inflectere mentem,
 52 dira subinde vovet pervertens fasque nefasque ;
 53 illicitumve parat spreto medicamen amori,
 54 lactucas humectantes gelidumque papaver,
 55 Circaeaeque simul stringit terrestria mala
 56 mandragorae, condens sudatos pixide rores.
 57 Nox erat, incedit nullo cum murmure Phoebus,
 58 nulli conspiciendus adit spelaea puellae ;
 59 illa toro leviter roseo suffulta jacebat,
 60 sola struens flores varia quos finxerat arte.
 61 Candida lucebat fax, hanc primum inficit atra
 62 nube, deinde linit medicati aspergine succi
 63 pulvillosque leves et picti strata cubilis ;
 64 terque soporiferas demulcet pollice cordas
 65 plectripotens, nectitque Hecateio carmine somnos.
 66 Virgineos oculos vapor implicat, excipit artus
 67 alta quies, et membra toro collapsa recumbunt.
 68 Vidit et obstupuit deus ; inter spemque metumque
 69 accedit, refugitque iterum ; suspirat ab imo
 70 pectore ; nec pietas, nec siderea ora puellae
 71 plura sinunt ; sed amor, sed ineffrenata libido
 72 quod castum in terris intentatumque relinquit ?
 73 Oscula non referenda serit, tangit, premitque ;
 74 illa (quod in somnis solet) ambigua edidit ore
 75 murmura, ploranti similis nec digna ferenti ;
 76 saepe manu urgentem quamvis sopita repellit,
 77 nequicquam, raptor crebris amplexibus haeret,
 78 vimque per insidias fert, indulgetque furori.
 79 Nec satis est spectare oculis, tetigisse, fruique,
 80 ingratum est quicquid sceleris latet ; illaque turpe
 81 quod patitur vitium quia non sensisse videtur,
 82 maestus abit (revocante die) spoliolumque pudoris
 83 tanquam invitus habet ; semper sibi quod petat ultra
 84 invenit ingeniosus amor, crescitque favendo.
 85 Tandem discusso nova nupta sopore resurgit,
 86 illam sed neque turba vocat, neque clari Hymenaei
 87 illius ante fores juvenum non inclita pompa
 88 conspicitur, placide caris commista puellis.
 89 Omnia muta tacent, pariter tacuisset Iole,
 90 verum nescio quae morborum insignia terrent ;
 91 nec valet a stomacho, nec non tremulum omnia frigus
 92 membra quatit : cubito incumbens sic anxia secum :
 93 "Numquid et hoc morbi est ? Nam quae mutatio sanas
 94 attentat vires ? Nec enim satis illa placebant,
 95 postrema quae nocte timens insomnia vidi
 96 quos ego praeterii fluctus ! Quae proelia sensi.
 97 In somnis ! Quantis, o dii, transfixa sub hastis
 98 occubui ! Vereor diros ne iratus Apollo
 99 in me condiderit parentia spicula morbos.
 100 Sed nec Apollineas pestes, nec respicit iras
 101 hic in corde pudor meus ; hoc solamen, Iole,
 102 semper habes, moriari licet, moriari pudica."
 103 Assurgit, cingitque operi se, candida fecit
 104 lilia, quae gustare cupit, quia candida fecit :
 105 quidque oculi cernunt animus desiderat ; aegrum

106 pectus ferre moras nescit, votisque carere.
 107 Singula quae gravidae possunt ignara ferebat ;
 108 torpores lassata graves, fastidia, bilem ;
 109 luminaque in morbum veniunt, putat illa fuisse
 110 obtutu nimio ; causas ita nectit inanes.
 111 Sed simul atque impleri uterum, sensitque moveri
 112 vivum aliquid, potuitque manu deprendere motus ;
 113 exanimata metu nemorum petit avia tecta
 114 tristis, ut expleret miserando pectora planctu.
 115 "Crudeles," ait, "et genus implacabile, divi,
 116 quas tandem aerumnas animique et corporis hausi
 117 immerita ? Assurgunt etiam nova monstra ; tumere
 118 coepit uter nobis ; jam virgo puerpera fiam ;
 119 nec dubitat natura suas pervertere leges
 120 quo magis excrucier possimque horrenda videri,
 121 demque pudicitiae, sceleris sed nomine, poenas.
 122 Quo fugiam ? Quae nunc umbrae, quae nubila frontem,
 123 vel tumultum hunc defuncti animi tectura cupressus ?
 124 Quam bene cum tenebris mihi convenit ! Horreo solem ;
 125 jam culpa possum, sed non caruisse timore ;
 126 frangitur ingenuus pudor, et succumbit in ipsa
 127 suspitione mali, scelerisque ab imagine currit,
 128 ceu visis fugiunt procul a pallentibus umbris.
 129 Infelix partus, nisi quid monstrosius illo est,
 130 absque tuo genitore venis, nomenque paternum
 131 si quis quaerat habes nullum ; patrem assere primum,
 132 post tibi succedam gravis atque miserrima mater."
 133 talia jactantem ventis laeva arbitra risit,
 134 invida populea latitans sub cortice Naias ;
 135 laetaque per sentes repit, tenuesque myricas ;
 136 sed simul explicuit se, proditione superba,
 137 praecipitique gradu loca nota perambulat, omnes
 138 suscipiens nymphas, referensque audita, nec illa
 139 per se magna satis, reddit majora loquendo ;
 140 et partes miserantis agit, vultusque stupentes
 141 effingit, monstrumque horret, crimenque veretur.
 142 Inde per alternos rumores fama vagatur,
 143 flebiliorque deae tandem florentia tecta
 144 pervenit. Illa novo temere conterrita monstro
 145 exsiliit, natamque animo indignata requirit.
 146 Sed procul ut matrem approperantem vidit Iole
 147 concidit exanimis, gemitus timor exprimit altos,
 148 exortosque utero creat ingeminatque dolores.
 149 Continuo silva effulsit velut aurea, et omne
 150 per nemus auditur suave et mirabile murmur.
 151 Diva pedem, perculsa soni novitate, repressit,
 152 interea sine ploratu parit, ipsaque tellus
 153 effudit molles puero incunabula flores.
 154 Occurrit natae Berecynthia, prima nepotem
 155 suscipit ; ille niger totus, ni candida solis
 156 haeserat effigies sub pectore, patris imago.
 157 Sed non ambiguo jam personat omnia cantu
 158 Phoebus, et ardentem incendit lumine silvas,
 159 dum sua furta canens miseram solatur Iolen ;
 160 obstupuit dea, nunc lucos, nunc humida natae
 161 lumina suspiciens, vultusque pudore solutos.
 162 "Proditor," exclamat, "non haec, si Jupiter aequus,
 163 probra mihi vel tecta diu, vel inulta relinquam.

164 Quo fugis ? Infestum caput inter nubila, Phoebe,
 165 nequicquam involvis ; scelus et tua facta patebunt,
 166 nec mihi surripiet fuga te, sequar ocior Euris,
 167 maternusque dolor vires dabit, iraque justa."
 168 Nec mora, per nubes summi ad fastigia caeli
 169 contendit ; nymphae tristi exanimaeque sorori
 170 circumfusae acres tentant lenire dolores,
 171 et placidis dictis tristes subducere curas.
 172 Illa amota sedet, tacitoque incensa furore
 173 ardet, et ingenti curarum fluctuat aestu.
 174 "Felices quibus est concessum," ait, "intemerata
 175 virginitate frui ! Mea jam defloruit aetas
 176 immature ; heu maternos sensisse dolores,
 177 gaudia non potui ; sed me nec gaudia tangunt ;
 178 nec duri, si non infamia juncta, dolores.
 179 Nox et somne, meo pars insidiata pudori,
 180 hos mihi pro meritis partus, haec pulchra dedistis
 181 pignora, formosique patris referentia vultus ?
 182 Nempe ego, Phoebe, tuos amplexus dura refugii,
 183 et simplex, tali quam posses prole beare.
 184 Atque utinam caruisse tuo, speciose, liceret
 185 munere ! Quantumvis indocta et stulta putarer,
 186 non tamen infamis, turpique cupidine laesa,
 187 cogerer ad nigros animam demittere manes."
 188 sic effata, aliquid vultu letale minanti,
 189 deficit, excipiunt nymphae, manibusque levatam
 190 celsa ferunt in tecta deae stratisque reponunt.
 191 Cuncta Jovi interea narraverat ordine Phoebus,
 192 factaque lascivis praetexuit impia verbis ;
 193 addiderat cycnumque, et terga natantia tauri,
 194 furtivumque aurum, et duplicatae praemia noctis.
 195 Jupiter officii tanti memor irrita risit.
 196 Vota deae, justumque odium in ludibria vertit.
 197 Illa sed ingenti luctu confusa recedit,
 198 conqueriturque fidem divum, saevoque ululatu
 199 indefessa diu languentes suscitatur iras ;
 200 at nulla in terris tanti vis nata doloris
 201 quam non longa dies per amica obliviam solvat.
 202 Jamque puer, tacite praeter labentibus annis,
 203 paulatim induerat juveniles corpore vultus ;
 204 cui quamvis nullo variantur membra colore,
 205 multus inest tamen ore lepos, tinctosque per artus
 206 splendescit mira nivitate illecta venustas.
 207 Si niger esset Amor, vel si modo candidus ille,
 208 jurares in utroque deum ; non dulcior illo
 209 ipsa Venus, Charitesque, et florida turba sororum.
 210 Huic olim nymphae nomen fecere Melampo,
 211 lucentesque comis gemmas, laterique pharetram
 212 aptarunt, qualem cuperet gestare Cupido
 213 ille levem tenera sectatur arundine praedam.
 214 Aurorae ut primo rarescit lumine caelum ;
 215 mox fervente aestu viridantes occupat umbras,
 216 aut ab euntis aquae traducit murmure somnum.
 217 Tempus erat placidis quo cuncta animalia terris
 218 solverat alta quies, solita cum Morpheus arte
 219 (somnia vera illi nullo mandante deorum)
 220 florigeram penetrat vallem, sopitaque ludit
 221 pectora nympharum, portentaque inania fingit,

222 horribilesque metus ; mox laetis tristia mutat,
 223 inducitque leves choreas, convivia, lusus,
 224 secretosque toros, simulataque gaudia amoris ;
 225 saepe alias satyro informi per devia turpes
 226 tradit in amplexus, alias tibi, pulcher Adoni,
 227 aut, Hyacinthe, tibi per dulcia vincula nectit.
 228 Sic deus effigies varias imitatus, opaca
 229 dum loca percurrit, sopitum forte Melampum
 230 cernit odorato densoque in flore jacentem :
 231 accedit prope, spectanti dat Cynthia lumen :
 232 "Et quid," ait, "mira nostram dulcedine mentem
 233 percellit ? Meve illudis, formose Cupido ?
 234 Sideream nigra frontem cur inficis umbra ?
 235 Jam placet iste color ? Vilesunt lilia ? Sordent
 236 materni flores ? Sed ubi nunc arcus et auro
 237 picta pharetra tibi ? Cui tu, lascive, sororum
 238 hac struis arte malum ? Tua quam nova captat imago ?
 239 At si non Amor es, quis es ? An furtiva propago
 240 atrigenae Noctis ? Num crescit gratia tanta
 241 e tenebris, jucunde, tibi ? Tam vividus unde
 242 ridet in ore lepos ? Tale et sine lumine lumen ?
 243 Ut decet atra manus, somno quoque mollior ipso,
 244 qui te sed leviter tangi sinit, aptus amori !
 245 O utinam quae forma tuos succenderet ignes
 246 cognorim ! Puer illa foret, seu femina, seu vir ;
 247 quam cupide species pro te mutarer in omnes !
 248 Utcumque experiar, spes nulla sequetur inertes."
 249 Induit ex illo facies sibi mille decoras,
 250 versat et aetates sexumque, cuilibet aptans
 251 ornatus varios ; nequicquam, immobilis haeret
 252 spiritus, et placido pueri mens dedita somno est.
 253 Jamque fatigatus frustratum deflet amorem
 254 Morpheus, indulgens animo pronoque furori.
 255 Luce sub obscura procul hinc telluris in imo
 256 Persephones patet atra domus, sed pervia nulli ;
 257 quam prope secretus, muro circumdatus aereo,
 258 est hortus, cujus summum provecta cacumen
 259 haud superare die potuit Jovis ales in uno.
 260 Immensis intus spatiis se extendit ab omni
 261 parte, nec Elysiis dignatur cedere campis,
 262 finibus haud minor, at laetarum errore viarum
 263 deliciisque loco longe jucundior omni.
 264 Et merito, his umbrae nam diversantur in hortis
 265 quot nunc pulchrarum sunt, saeclo quotve fuere
 266 primo, quotve aliis posthac visentur in annis.
 267 Vallem vulgus amat, quarum peragendaque silva
 268 fabula sit, liquidis spectant in fontibus ora,
 269 aut varias nectunt vivo de flore corollas ;
 270 at quibus urbanae debetur turgida vitae
 271 mollities, studiis aliis, alioque nitore
 272 assuescunt animos, nil simplicitatis habentes.
 273 Altior, et longe secretior heroinis
 274 contingit sedes, Parnasso suavior ipso ;
 275 gemmarum locus, atque oculorum lumine lucet.
 276 Non huc fas cuiquam magnum penetrare deorum ;
 277 soli sed Morpheo, cui nil sua fata negarunt,
 278 concessum est, pedibus quamvis incedere lotis :
 279 illum durus amor, sibi nil spondente salutis

280 arte sua, tandem his languentem compulit hortis,
 281 tot puero ex formis ut fingat amabile spectrum.
 282 Primo fons aditu stat molli fultus arena,
 283 intranti, gradibus variisque sedilibus aptus.
 284 Hic se cum redeunt, labem si traxerat ullam
 285 vita, lavant, purae remeantque penatibus umbrae.
 286 Morpheus hac utrumque pedem ter mersit in unda,
 287 et toties mistis siccat cum floribus herbis ;
 288 inde vias licitas terit, et velatus opaca
 289 nube, lubens saturat jucundis lumina formis.
 290 Aspicit has tacita sua mutua fata sub umbra
 291 narrantes, choreis certantes mollibus illas
 292 quas olim didicere, vel ignes voce canentes
 293 quales senserunt dum lubrica vita manebat.
 294 Sed deus obliquo species sibi lumine notas
 295 praeterit, Antiopam Nycteida, Deiphilemque,
 296 Tyndaridemque Helenam, desponsatamque priori
 297 Hermionem, calido dotatam sanguine nuptam ;
 298 Argiam, et Rhodopen, victoris et Hippodamiam
 299 expositam thalamis, pomis captasque puellas,
 300 Roxanamque, Heramque, ut cognita sidera spectans
 301 negligit, innumerasque pari candora micantes.
 302 Hinc dorsum sublime petit per amoena roseta
 303 evectus, picta et multo viridaria flore.
 304 Undanti circum locus est velut insula valle
 305 inclusus, formis aptus privusque Britannis,
 306 densis effulgens tamquam via lactea stellis.
 307 Prima suo celerem tenui Rosamunda decore
 308 ingenti, cui Shora comes rutilantibus ibat
 309 admiranda oculis, gravis utraque conscia sortis.
 310 Inde Geraldinam caelesti suspicit ore
 311 fulgentem, Aliciamque caput diademate cinctam,
 312 casti constantisque animi lucente trophaeo.
 313 Nec tamen his contentus abit deus, altius ardet
 314 accelerare pedem, fulgor procul advocat ingens
 315 apparens oculis, majoraque sidera spondet.
 316 Emicat e viridi myrteto stella Britanna,
 317 Penelope, Astrophili quae vultu incendet amores
 318 olim, et voce duces dulci incantabit Hybernum.
 319 Constitit eximiae captus dulcedine formae
 320 Morpheus, atque uno miratur corpore nasci
 321 tot veneres, memori quas omnes mente recondit.
 322 Proxima Franciscae divina occurrit imago,
 323 ejaculans oculis radios, roseisque labellis
 324 suave rubens, magni senis excipienda cubili.
 325 Mollis odiferis prope Catherina sedebat
 326 fulta rosis, tacitam minitantur lumina fraudem,
 327 cara futura viro, toto spectabilis orbe.
 328 Conjugibus laetae minus huic speciosa Brigetta
 329 succedit, radiis et pulchris Lucia fervens.
 330 Formam forma parit, nova spectantemque voluptas
 331 decipit oblitum veteris, placidaeque figurae.
 332 Utque satur conviva deus rediturus, apricam
 333 planitiem duo forte inter nemora aurea septam
 334 cernit, et in medio spatiantem, corpore celso,
 335 egregiam speciam, magnae similemque Dianae.
 336 Nube sed admota propius dum singula spectat,
 337 digna sorore Jovis visa est, aut conjuge ; sola

338 majestate levis superans decora omnia formae,
339 haec comitata suis loca jam secreta pererrat,
340 conscia factorum, dicetur et Anna Britanna
341 olim, fortunae summa ad fastigia surgens.
342 Altera subsequitur felix, et amabilis umbra,
343 cui Rheni imperium, et nomen debetur Elizae.
344 Morpheus hic haeret, capiunt hae denique formae
345 formarum artificem, nec se jam proripit ultra.
346 Gratia, nec venus ulla fugit, congesta sed unam
347 aptat in effigiem, Polyclito doctior ipso.
348 Sic redit ornatus, tenero metuendus amico,
349 cujus in amplexus ruit, haud renuente puello.
350 Quo non insignis trahis exsuperantia formae
351 humanum genus ? Hac fruitur, Junonis ut umbra
352 Ixion, falso delusus amore Melampus.
353 Sed patris adventu, somno jam luce fugato,
354 gaudia vanescunt, atque experrectus amata
355 spectra puer quaerit necquicquam, bracchia nudum
356 aera circumdant, nil praeter lumina cernunt.
357 Saepe repercussis caelo conivet ocellis,
358 amissi cupidus visi, dulcisque soporis ;
359 et caput inclinat, sed acutas undique spinas
360 curae supponunt tristes, arcentque quietem.
361 Nusquam quod petit apparet, nec praemia noctis
362 permittit constare dies, ut inania tollit.
363 Saevit at introrsum furor, et sub pectore flammas
364 exacuit, subditque novas ; inimica dolori
365 lux est, oblectat nox, et loca lumine cassa.
366 Silvarum deserta subit, clausosque recessus
367 insanus puer, et dubio marcescit amore ;
368 sperat et in tenebris aliquid, terraque soporem
369 porrectus varie captat ; tum murmure leni
370 "Somne, veni," spirat ; "prodi, o lepidissime divum ;
371 et mihi redde meam," prope sponsam dixerat amens ;
372 "Redde mihi quaecumque fuit, vel virgo, vel umbra,
373 qualiscumque meo placuit, semperque placebit
374 infelici animo ; veri, vel ficti hymenaei
375 quid refert ? Vitae domina est mens unica nostrae,
376 sed non talis erat quem vidi vultus inanis,
377 quod sensi corpus certe fuit, oscula labris
378 fixa meis haerent ; si quid discriminis hoc est,
379 nunc frigent, eadem cum praebuit illa calebant.
380 Illa, quid illa ? Miser quod amo jam nescio quid sit :
381 Hoc tantum scio, conceptu formosius omni est.
382 Terra sive lates, suspensa vel aere pendes,
383 vel caelum, quod credo magis, speciosa petisti ;
384 pulchra redi, et rursus te amplexibus inserte nostris.
385 Pollicita es longum, nec me mens fallit, amorem.
386 Dic ubi pacta fides nunc. Nondum oblita recentis
387 esse potes voti cum me fugis, et revocari
388 Acharo non laetaris, quem spernis, amante."
389 Sic varias longo perdit sermone querelas,
390 atque eadem repetit, nec desinit ; igne liquescit
391 totus, et ardenti cedit vis victa dolori.
392 Mente sed ereptam vigili dum quaeritat umbram,
393 umbrae fit similis ; tenui de corpore sanguis
394 effluit, et paulatim excussus spritus omnis
395 deserit exanimum pectus, motusque recedit ;

396 optatumque diu fert mors, sed sera, soporem.
397 Corpus at inventum terrae mandare parabant
398 lugentes nymphae, flores, herbasque ferentes
399 funereas plenis calathis ; quae vidit Apollo
400 omnia, et iratus puero hunc invidit honorem :
401 utque erat in manibus nympharum non grave pondus,
402 labitur, obscuram sensim resolutus in umbram ;
403 et fugit aspectum solis, fugietque per omne
404 tempus perpetuo damnatus luminis exul.